



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XXI. De Sortilegiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

De Sortilegiis.

SUMMARIUM.

1. Sortilegium, & sortes quid, & quotuplices.
2. Divinatio & Magia sunt gravissima peccata.
3. 4. Quæ illorum sint pœna.

I Sortilegium à sortibus dictum idem est ac sortium missio, quæ sortes, Germanicè *Würfeln* dicitur, ratione finis, propter quem assumuntur, sunt triplicis generis. I. *Divisoria*, quæ adhibentur ad dividendas res ad plures indivisim vel æquè jure pertinentes, vel ad jura dubia, aut lites dirimendas, v. g. si plures cohæredes bona defuncti inter se dividant sorte, v. g. jactu aleæ, vel si duo luctigantes conveniant, ut is sit victor, cujus nomen fortuito primum ex urna fuerit eductum. Et horum sortium usus per se omni jure est licitus, et frequenter cum magna utilitate adhibetur: prohibitus tamen est in Electionibus ad Prælaturas & in Provisionibus Beneficialibus. *c. fin. h. r. c. 4. de Elect.* Cum hujusmodi provisiones, maxime electiones ad Prælaturas Ecclesiasticas, consilium & attentam majori personarum aptitudine fieri debeant, non casu, vel disponente Fortunâ. 2. *Consultoria*, quæ adhibentur ad cognoscendum, quæ sit in se ancipiti DEI voluntas, quid faciendum vel omittendum: sic per sortem electus est S. Matthias in Apostolum locò Judæ Proditoris, sic olim deprehensum est furtum Achan. Et harum sortium usus potest absolute esse licitus, si fiat urgente

te aliqua necessitate, & alius cognoscendi modus non suppetat, si cum debita erga DEUM reverentia fiat, nempe nec adhibendo res sacras ad lucrum temporale, nec petendo, explicitè vel implicitè aliquod à DEO signum extraordinarium, vel miraculum (secluso speciali DEI instinctu) id enim foret tentatio DEI, sed humiliter rogando, ut DEUS per Providentiam specialem sortes ita dirigat, ut indè veniatur in cognitionem voluntatis Divinæ, quam quis exequi cupit. 3. *Divinatoria*, quibus exquiritur notitia arcanorum, absentium, futurorum, præteritorum, per media improporcionata, v. g. per verba, characteres, scripturam, cruces, vel alia signa ut ut sacra forsan (vel preces etiam cum vanis ceremoniis, crucibus, ignotis characteribus &c.) nullam naturalem connexionem habentia cum eventu futurorum, cum rebus arcanis, præteritis, vel absentibus.

Et harum sortium usus, qui generali nomine etiam vocatur *Divinatio*, & varias sub se species continet, *Chiromantiam*, quæ fit per inspectionem manuum, ut faciunt Zingari, *Zigeiner* / *Astrologiam Judiciariam*, quæ fit per inspectionem Astrorum, *Incantationem*, quæ per verba vel cantiones, *Augurium*, quod per observationem garrutis, volatus &c. avium, *Præstigias*, quæ fiunt præstringendo oculorum aciem, ut appareat, quod non est &c. Harum, inquam, sortium usus, seu *Divinatio*, quæ venit nomine *Sortilegii in specie Wahrsageren* / certò est illicita, ut videbimus, uti & *Magia*, seu ars operandi mira per opem demonis, nimirum per signa vel media nullam natura-

turalem connexionem cum effectu habentia; et que differt à Divinatione per hoc, quòd in illa solum cognitio rei occultæ, per Magiam verò effectio operis miri petatur ex-vel implicite à dæmone. Utramque, Divinationem ac Magiam, et & alias Superstitiones complectitur *Sortilegium in genere* sumptum, semperque involvit vel crimen falsi, vel superstitionem, vel pactum aliquod cum dæmone. Si intèrvenit pactum expressum, vocatur generali nomine *Necromantia, Schwarzkunst / Zauberey /* & si tendat ad aliis nocendum, *Veneficium, vel Maleficium.* His suppositis

- 2 Dico I. Sortilegium, prout involvit Divinationem ejusque species, & Magiam per se esse gravissimum peccatum contra Jus Naturale ac Divinum æquè, ac contra Canonicum *caus. 26. q. 3. c. 5. ferè per tot.* ubi etiam ipsæ species explicantur *c. 1. h. t. & contra Civile l. 3. 5. seqq. C. de Malic. & Mathemat.* Ratio est clara; quia, quando ad cognoscendum arcana, absentia, futura &c. ut in Divinatione, vel ad efficiendum mira, ut in Magia, adhibentur media prorsus improporcionata nullam omnino naturalem connexionem cum re canis &c. vel naturalem vim cum effectu habentia applicantur, imploratur aliqua substantia intellectiva, ut aliquid revélet, vel efficiat: sed hæc substantia intellectiva nec est DEUS, nec Angelus, quia DEUS nullibi promisit revelationem vel effectum hujusmodi rerum ad positionem sigillorum signorum hæptorum, v. g. ad efformationem crucis in calceo, inspectionem manûs, aquæ &c. ad certarum rerum ligaturam, ad immurmurationem sacrorum verborum in aures jumenti agri &c.

unctionem furcæ &c. Angeli autem nec solent, nec sine DEI voluntate possunt hujusmodi manifestare vel efficere: ergo imploratur alia substantia intellectiva, quam DEUS & Angeli, hi enim per talia signa vanè, impiè & superstitiosè implorarentur: ergo imploratur dæmon vel expressè, ut face- resolent magi & necromantici, vel saltem tacitè, ut augures, arioli, incantatores, præficiatores, divi- natores &c. & sic semper intèrvenit pactum vel ex- pressum vel tacitum cum dæmone, ut opem ferat: quod utique impium & DEO gravissimè injurio- sum est, nisi subinde per accidens ruditas, simpli- citas, aut ignorantia quosdam simplices excuset saltem à mortali peccato. Aliud foret, si sigua haberent aliquam connexionem naturalem cum re occulta, vel eventu futuro: sic Divinatorium & superstitiosum non est ex infirmorum somniis con- jicere corporis complexionem, valetudinis sta- tum, periculum mortis: ex avium volatu vel gar- ritu, ex colore lunæ &c. pluvias vel serenitates prænnunciare: ex Siderum motibus & constellatio- nibus tempestates, morbos, fertilitatem terræ &c. præfagire conjecturaliter.

Dico 2. Pænæ Sortilegii Divinatorii hodie in 3
utroque foro sunt arbitrariæ; & contra Laicos, quamvis delictum sit mixti fori, non procedit Judex Ecclesiasticus, nisi sapiat Hæresim, & sub ratione Hæresis instituatur examen. Ita utrum- que declarat Consuetudo. Dixi, *hodie*; nam de Jure Canonico erat pænitentia 40. dierum. *c. 1. b. t.* & si moniti non resipiscant, apud viles per- sonas fustigatio, apud honestiores incarceration, vel ejectio ex diocesi cum stigmate, vel excom- muni-

municatio ferendæ sententiæ. *can. 10. 12. q. 1. & can. 15. q. 7. caus. 26.* Apud Clericos autem annualis vel longior suspensio. *c. 2. h. t.* aut depositio. *can. 4. seqq. q. 5. cit.* quæ in *can. 15. cit.* vocatur degradatio, nimirum verbalis. De Jure Civili erat vel publicatio bonorum, vel supplicium capitale, vel etiam ignis, pro qualitate personarum & gravitate delicti. *l. 3. & 5. cit.* Si Sortilegium conjunctum est cum Hæresi, incurruntur quoque Hæreticorum pœnæ. *c. 8. ff. sanè de Hæret. in l.*

4 Dico 3. Pœna Sortilegii Magici, seu Magici, de Jure Civili est gladius. *l. 5. cit.* Constitutio Petri Caroli V. *art. 109.* facit discrimen; si est cum damno tertii, pœnam ignis, si sine damno, sicut arbitriam, v. g. relegationis, vel pro exigentia circumstantiarum etiam mortis. De Jure Canonico incarceratio, censuræ &c. contra Clericos autem degradatio, & traditio Curie Sæculari tradit P. Reiffenstuel *n. 14. h. t.* Punitio nem autem Laicorum Magorum ferè relinquit Curie Sæculari Ecclesiasticus Judex.

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda.

SUMMARIUM.

1. Quid sit Collusio, & quibus in causis habeatur cum.
2. 3. Qua circa eam sint partes Judicis.

1 **C**ollusio est occulta conventio vel concordia inter Accusatorem & Reum in causis Criminalibus eum in finem, ut delictum maneat